

alique salubribus & prosperis ventis est expositus. Ebraeis vero  $\text{קן}$  appellatur, quasi dicas umbraculum, munimentum, à themate seu radice  $\text{קן}$  protexit, circummunivit, septo vel scuto conclusit.

§. III.

Accipitur verò vox *hortus* non uno semper modo, sed ut alia agricultura vocabula ad rem voluptatum transferuntur, ita hæc, notante inprimis Lipsio lib. 3. Antiqu. Lect. p. m. 129. & Grutero in Face Critica,  $\text{ἡ ἑφῆβιον γυναικείον}$  antiquis *hortus* significabat. Et licet dubitet de ista vocis acceptione Petrus Victor Lect. Var. lib. 25. cap. 10, cum, se nullibi apud bonos Autores vocem istam in ea significatione reperisse, testatur, & Henricus Stephani, ne idem admittere cogatur, pro *hortis* fœmineis in Ovidii Metamorph. lib. 10. in fin. substituit *artus fœmineos*, vereor tamen, ne quæ ex Plauti Milit. a. 2. scen. 2. v. 39. & Apuleii  $\text{ἀνεχομένω}$  adducit Laurenbergius in Horticult. l. i. cap. 1. diversum evincant. Nec etiam dispari sensu decantatos Hesperidum hortos accipi autor nobis est Taubmannus Not. ad Mil. Plaut. Act. 2. scen. 2. v. 39. Factum verò illud credo Græcorum imitatione, qui in parâ verecunda significatione adhibebant vocem  $\text{κῆπος}$ , ut videre est ex joco, quem Laertius refert de Theodoro Cyrenaico.  $\text{Αθεός}$  enim iste irridens Stilponem Megarensen, qui in judicio Arcopagitarum se purgans, cum argueretur, in disputatione quadam negasse, Minervam Phidiæ Deum esse, cum confessus esset, non Deum eam esse, sed Deam, & fœminam, dixit ad eum Theodorus: quomodo hoc asseverat Stilpon?  $\text{πόθεν δὲ τῶτ' ἤδει Στίλπον, ἡ ἀναβόρας αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσειο;}$  quorum verborum interpretationem reperies apud Budæum & Stephanum in Lexicis.

§. IV.

Licet igitur, quod contra expressa Autorum testimonia negare non auderem, in subterpiculo isto parumque honesto significatu